12

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

Domino, ac Patrono Optimo,

ALDERANO CYBO

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Episcopo Ostiensi, & Sacri Collegii Decano, ac totius Ordinis Seraphici Sancti Patris Nostri FRANCISCI apud S. Sedem Protectori vigilantiss.

FR. MATTHÆUS A S. STEPHANO

Ejusdem Ordinis Minorum de Observantia Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus Araceļitanus, ac Provinciæ Neapolis ex-Minister Provincialis, & Custos;

THESES ISTAS

Universam amplectentes Theologiam juxtà subtilissimi Doctoris SCOTI celebratam doctrinam in proximo Capitulo Generali propugnandas, suo, ac suæ Provinciæ nomine in debitæ Gratitudinis Authoramentum, obsequentissimo Animo, humillimè ex corde consecrat, dedicat, dicat.

Sub fęlicissimis ejusdem Eminentiss. PRINCIPIS auspiciis,

Præsidente ipso Fratre MATTHAEO DE SANCTO STEPHANO

Impugnationibus repugnabit

FR. DOMINICUS A CROTONE

In Regali Conventu Sanctæ Marię Novæ Civitatis Neapolis Sacræ Theologię Lector Generalis, & Provinciæ Observantis Consentię Minister Provincialis.

Pro Comitiis Generalibus, celebrandis in vigilia Pentecostes, in Magnifico Templo Sancti Patris nostri FRANCISCI Civitatis Victoriæ Provinciæ Cantabriæ.

Anno Domini M.DC.XCIV. Mense Maii, Die Hora

NEAPOLI, Ex nova Officina Dom. Ant. Parrino, & Michaelis Aloysii Mutii. 1693.

SVPERIORVM FACVLTATE.

ATlantis sui, præcelsæ Benignitati,
Pro tanto fulcimenti, ac ornamenti, beneficio;
Ne desit officio,
Quid gratiæ, & obsequii, reponat opportuniùs,
Seraphicus Ordo, seu Cælum?
Sanè non nisi Divina, de Deo videlicet Effata,
Humanissimam decent Amplitudinem,
Herois illius,
Qui
Dei more,
Cunctos sinu peramanter excipit, protegit, & ditat promeritis.
Qui
Quamvis de splendore Natalium jubar hauserit;
(a) Fulgorem tamen stirpis, morum radiis, obumbravit;
Vincens decorem sanguinis, ingenii claritate:
Dum coruscantem Germinis sui lampadem, actuũ serenitate trãscendit;
Et factus est Stemmatis victor sui,
Per quod plerosque mortalium nascendo superavit.
Qui
Cognationis inclytæ luminarium,
Patrum nempe Purpuratorum, priscam speciem nitidiorem
Tam bellè exprimit:
Ermanos, Ioannes, Sisinios, Ulderico, Martinos, Guidones, Antonios,
Leonardos Angelos, Laurentios, Innocentios, in se uno ALDERANO
Repræsentans ex toto.
Qui
(Octavi Innocentii Numisma,)
In quo, Pax, Copia, Justitia, occursu festivo sese suscipiunt,

(a) *Ennod. in v. Anton.*

Facit suum; suisque Virtutibus pretium auget:
Quibus exornandis digna simulacrorum pompa,
Totum nativi Soli Lunense marmor, vix sufficit.
Qui
AEsinam Insulam,
Et verbis æternæ vitæ, & immortalibus factis,
Decoravit potiùs, quam ab illa honestaretur.
Qui
Ab Undecimo Innocentio,
In curarum consortium accersitus,
Christianæ Reipublicæ tranquillitati, & saluti allaboravit.
Qui
Suarum omnium Præfecturarum tempora
Fortunavit adeò, & illustravit, provida sedùlitate,
Ut ipsos illuxisse, aurei sæculi dies, credi posset.
Qui
Per Forensium Munerum gradus, Honoris stadio decurso,
Supremi sæpè contigit meritis metam.
Qui
Pluribus egregiè perfunctus Legationibus
Integritatem, & prudentiam mirificam, omnibus probavit suam.
Qui
Gentilitia Emblemata,
Bicipitem Aquilam, Libertatis titulum, Balteum, Crucem,
Moribus præclarissimis explanavit:
Adversus Rebelles lumini bellans, & inimicos Crucis Christi,
Pro Religionis, Veritatis, & Iustitiæ Libertate:
Atque in æterni Solis fulgore, fervore duplici conquiescens
In Deum Pietate conspicuùs, & in Homines Charitate.
Patere itaque, Purpuratorum Eminentissime,
Nos ad Te venerabundos accedere,
Quos Amplissimi Nominis tui, tot aspectabilia decora, ac blanda lenitudo
Invitant, & rapiunt.
(b) Non est temeritas accedentis; ubi est impetus rapientis.
Igitur
Majore, qua possumus, Observantiæ significatione, ac studio,
Hunc Theologici studii qualemcumque fructum
In Generalibus hisce Comitiis, concorditer dicamus Tibi,
Precamurque, ut foveas semper, & faveas
Obsequentissimi, Addictissimi.
aVe, aVeMUs, Ut phænICeos DIes feLIX VIVas.

(b) *S. P. Chrysol.*

DE DEO IN SE, EJUSQUE ATTRIBUTIS

I.

HAEc propositio, *Deus est*, non est per se nota nobis in actu secundo; Neque est demonstrabilis à priori, aut per causam formalem. Potest tamen à posteriori, & per effectus demonstrari existentia Dei, seù entis à se. AEquè rationi repugnat multiplex, ac nullus Deus; adeoque naturalis ratio, & demonstrat Deum existere, & esse unum. Est Deus ens optimum, & perfectissimum, nedum absolutè, sed etiam comparativè; ac tale, ut nihil illo possit excogitari melius, ratione non errante. Continet perfectiones omnium entium sine ulla imperfectione, & defectu. Perfectiones simplicitèr simplices continet formalitèr; perfectiones secundum quid continet eminentèr; & hic est melior modus illas continendi. Complexum ex Deo, & Creaturis, non est quid perfectius solo Deo; imò Deus solùm cum contineat omnes perfectiones illius complexi, proprias formalitèr, Creaturarum eminentèr, absque ulla imperfectione; est perfectior illo complexo, quod ita continet omnes perfectiones, ut contineat etiam Creaturarum imperfectiones.

II.

Existentia, & singularitas in Deo sunt prædicata quiditativa. Ultimum, & proprium Dei constitutivum, ac distinctivum, saltim quantum ad nostrum modum concipiendi, non est intellectio actualis, nec intellectivitas radicalis sed tantum Aseitas, seù existere per essentiam. Ita perfectè, & summè simplex, ac purus actus est Deus, ut excludat omnem potentialitatem, & cõpositionem, ac componibilitatem, tùm obiectivam, tùm subiectivam. Est quoque æternus æternitate propriè dicta, quæ est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Hæc Dei ęternitas est duratio undequaque infinita, indivisibilis, simplicissima, ac tota simul: non propterea debent res temporales esse in Dei æternitate ab æterno physicè præsentes, eique realitèr coexistentes. Futura ergo coexistunt physicè æternitati solùm quando, & pro quanto tempore existunt physicè in se ipsis, & in propria

durationc intrinſeca: ſimilitèr præterita coextitere, quando in ſe ipſis extiterunt. Si futura eſſent phyſicè præſentia in Dei æternitate ab æterno, deberent etiam eſſe phyſicè præſentia in æuo Angelorum, poſito, quod Angeli durent per ævum indiviſibile.

I I I.

Immenſitatem poſſidet Deus, & ratione ejus poteſt eſſe, & eſt intimè, & realitèr præſens rebus, & locis omnibus, etiam infinitis, ſi actu exiſterent; & ſanè neceſſariò, independentèr, & ab intrinſeco. Hæc ſumma Dei immenſitas, ſivè in actu primo, ſivè in actu ſecundo conſideretur, non videtur ſatis rectè per conſequentiam formalem inferri ex Divina Omnipotentia. Ratione ſuæ Immenſitatis Deus ſicut verè eſt intra, ſic & verè eſt extra hunc Mundum; & licèt debeat cum Sanctis Patribus affirmari ante Mundúm conditum, & extra Mundum de facto productum Deum eſſe, & exiſtere in ſe ipſo; poteſt támen in recto ſenſu aſſeri ipſum eſſe in ſpatiis quoque imaginariis, in quibus alios, & laios poteſt conſtruere orbes; non quidem poſitivè, fundando, vel terminando reſpectum realis præſentiæ; ſed negativè, hoc eſt per negationem abſentiæ.

DE SCIENTIA DEI.

I.

DEum optimum maximum intellectivam eſſe ſubſtantiam, & Scientia vera, & propria gaudere, tùm fidei ſuadetur principiis, tùm naturalibus demonſtratur rationibus. Ex Dei immaterialitate non ſufficientèr probatur Dei intellectivitas: coherentèr ſuſtinemus non eſſe impoſſibilem ſubſtantiam ſpiritualem non intellectivam. Ipſa ſcientia Dei in actu ſecundo non poteſt eſſe conſtitutiva Divinæ Eſſentiæ, ſivè ſub conceptu Eſſentiæ, ſivè ſub conceptu naturæ à nobis intelligatur; imò eſt ab ipſa Eſſentia Divina ex natura rei formalitèr diſtincta. In Deo non ſolùm eſt ſcientia in actu ſecundo; ſed datur etiam intellectivum radicale, & intellectus per modum actus primi ſecluſis omnibus imperfectionibus. In Deo non datur ſcientia per modum habitus

tus ab intellectu Divino formalitèr distincti; nec in Deo est sciẽtia discursiva formaliter, vel cum omnibus conditionibus *ab Aristotele primò post.* præscriptis.

I I.

Obiectum primarium Divinæ Scientiæ est sola Essentia Divina, quam Deus immediatè cognoscit per se ipsam, & non per speciem intelligibilem ab ipsa, vel Divino Intellectu aliqualiter distinctam. Attributa, & relationes pertinent ad obiectum secũdarium, & terminativum Scientiæ Dei. Omnes Creaturas, etiã in statu puræ possibilitatis, quoad omnia earum prædicata, distinctè Deus cognoscit. Nec se ipsum in Creaturis, nec Creaturas in se ipsis cognoscit Deus; sed in sua Divina Essentia, non quidem ut in causa, nec ut in specie impressa, vel expressa; sed ut in obiecto primario priùs cognito continente eminentèr, & perfectissimè Creaturas in esse cognoscibili. Divina Scientia se extendit etiàm tùm ad impossibilia, tùm ad negationes, & privationes.

I I I.

Creaturæ ab æterno non fuerunt possibiles per solam denominationem extrinsecam, desumptam à Divina Omnipotentia; sed possibilitate etiam quadam intrinseca. Ista possibilitas non benè desumitur à Divina Omnipotentia, ita ut prima ratio, quarè homo sit possibilis, sit, quia Deus potest hominem producere; neque à Divino Intellectu, ita ut à priori ideò homo sit possibilis, quia Deus cognoscit hominem esse possibilem; sed veriùs desumitur ex intrinsecis prædicatis, & rationibus formalibus ipsarum rerum. Hoc esse possibile Creaturarum non dicit ab ęterno esse reale actuale Essentiæ; neque est ens rationis rigorosè, aut medium inter ens rationis, & reale in tota sua latitudine sumptũ; sed est verum ens reale potentiale, secundum quod esse distinguntur intrinsecè ab entibus rationis, & impossibilibus.

DE SCIENTIA FUTURORUM CONTINGENTIUM

I.

DEum ab æterno certò, & infallibilitèr cognoſcere omnia futura contingentia, tùm abſoluta, tùm conditionata à noſtra Voluntate liberè provenietia, probatur tùm ex ſacris litteris, & ex Divinis revelationibus; tùm rationibus naturalibus. Prædicta futurorum ab æterno præſcientia nec aufert libertatem potentiæ, nec contingentiam actibus præuiſis; adeoque impiè aliqui Hæretici, ut præſcientiam ſuſtinerent, Voluntatis, & Arbitrii libertatem circa ſuos actus abſtulerunt; & non minùs impiè *Cicero 2.de* D*ivinatione*, ut refert *Sanctus Auguſtinus 2.de Civitate Dei cap. 6.* ut omnes homines faceret liberos, futurorũ contingentium præſcientiam Deo negavit; & proindè fecit ſacrilegos.

I I.

Scientia Viſionis omninò ſupponit actus liberos eſſe futuros: quare in recto ſenſu, & à priori loquendo, non ideò prædicti actus ſunt futuri, quia præſciti; ſed potiùs præſciti, quia futuri; ita tamen, ut ly, ideò, non importet veram rationem cauſæ, à qua Divina Scientia dependeat, ſed ſolùm rationem conditionis ſine qua non, requiſitæ ad hoc ut Divinus Intellectus indifferens ex ſe ad cognoſcendum res eſſe futuras potiùs, quam non futuras, determinetur ab Eſſentia Divina, tamquam ab obiecto formali omnis divinæ cognitionis, ad habendam rerum futurarum certã, & determinatam præſcientiam.

I I I.

Dicimus præterea Deum non poſſe cognoſcere futura contingentia nobis libera in ſuis Decretis phyſicè prædeterminantibus Voluntatem ad unum; neque in Decretis prædefinitivis omninò antecedentibus, & inimpedibilibus ab arbitrio creato, ac eſſentialitèr connexis cum actibus prædefinitis, quibus non correſpódent in tempore phyſicæ prædeterminationes intrinſecæ, ea vulgari ratione, & communiſſimo fundamento *Doctoris ſubtilis in 2. diſt. 37. quæſt. unica §. ideo meritò : quando aliquod conſe-*

quens

quens sequitur necessariò ad aliquod antecedens, in cujus potestate non est antecedens, in ejusdem potestate non est consequēs. Cæterum omisso, quod possibilis esset physica prædeterminatiò ad actus liberos moralitèr bonos, honestos, & salutares, adhùc speciali titulo esset impossibilis ad actus liberos moralitèr malos, & peccaminosos. Neque etiam potest Deus hujusmodi futura cognoscere in Decretis prædeterminantibus moralitèr, quomodocumque explicetur hęc sententia; & talia Decreta sunt etiā speciali titulo impossibilia in ordine ad actus peccaminosos.

IV.

Satis igitur probabile est Deum cognoscere ab æterno futura contingentia nobis libera in Decreto concomitanti Scotistarum. Per hoc Decretum Deus, non ex vi scientiæ mediæ, sed ex vi continentiæ eminentialis, & infinitatis in ratione potentiæ volitivę coincidit in determinationem voluntatis creatæ, non minùs quàm si eam vidisset, & expectasset, determinando ab æterno illum eumdem actum, quem in tempore voluntas constituta in actu primo proximo pro sua libertate determinabit, & eliciet; taliter se conformando ejus futuræ electioni, ut determinasset Deus ab æterno actum oppositum, si actum oppositum voluntas creata in tempore pro sua libertate determinaret, & eliceret. Decretum concomitans sic explicatum creatam libertatem in primis non lædit; nec fertur in incognitum, nec est fortuitum, & casuale; sed procedens à proposito à libera Dei Voluntate antecedenti se conformandi in suis Decretis liberę electioni, ac determinationi voluntatis creatæ ex infinita ejus perfectione in ratione primi liberi; nec tandem derogat supremo Dei dominio, & essentiali dependentiæ Creaturæ à Deo.

V.

Celebris est controuersia, an futura conditionata contingentia Deus cognoscat per Scientiam Visionis dependentèr à Decretis actù, & subiectivè existentibus in Divina Voluntate; an verò per scientiam mediam independentèr à talibus Decretis? In hac controversia asserimus primò non posse ea cognoscere dependen-

ter

ter à Decretis omninò antecedentibus,ſivè prædeterminantibus, ſivè non; quia, ut præmiſimus, videntur læſiva libertatis creatę. Aſſerimus ſecundò cum communiori hiſce temporibus ſcotiſtarum ſententia probabile eſſe Deum ea cognoſcere per ſcientiam Viſionis dependentèr à Decretis concomitantibus,actù, & ſubiectivè exiſtentibus abſolutis ex parte actus, & conditionatis ex parte obiecti. Aſſerimus etiam ad ſuperabbundantiam probabile quoque eſſe Deum ea cognoſcere per ſcientiam mediam in ſe ipſis independentèr à Decretis actù exiſtentibus.

V I.

Talis proindè ſcientia cohæret cum libertate creata. Non prejudicat ſupremo Dei Dominio; nec à Deo aufert rationem primi liberi, vel primæ cauſæ. Salvat dependentiam Creaturæ à Deo in eſſe, & operari. Non favet erroribus Pelagianorum, vel Semipelagianorum, non ex ejus principiis ſequitur Deum non habere omnipotentiſſimam poteſtatem immutandi hominum corda, ac faciendi ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes.

V I I.

Omnes, & ſinguli actus honeſti, & ſalutares, quamtumque liberi, debent eſſe à Deo prædefiniti prædefinitione tùm efficaci, & abſoluta, tùm eſſentialitèr connexa cum ipſis actibus prædefinitis, & à Voluntate creata omninò infruſtrabili. Ut talis prædefinitio cohæreat cum libertate non poteſt eſſe ullo pacto antecedens; ſed neceſſe eſt, ut ſit vel concomitans, vel conſequens ſcientiam mediam: neque poteſt ſe tenere ex parte actus primi proximi; nam eo ipſo actus primus proximus non eſſet indifferens, quod ad libertatē indiſpenſabilitèr, & neceſſariò requiritur.

DE VOLUNTATE DEI, PRAEDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

I.

DAri Voluntatem in Deo eſt ita certum, ut oppoſitum reputemus obnoxium dogmatibus Fidei, & evidentiis ratio-

tionum apertissimè contrarium. Actus Dei liber ad extra nil intrinsecum, sivè identificatum, sivè distinctum, quod absolutè potuerit in Deo non esse, addit supra ipsum actum necessarium; sed est ipse actus Dei necessarius, qui ob intrinsecam sui illimitationem, & indifferentiam sine ulla mutatione subiectiva ex parte sui se habet ad extrà, & respectu Creaturarum, pro ut vult.

II.

Cum Apostolo *primo ad Tim.* 2. sentimus, Deum habere ab æterno proprium, & finalem actum, quo vult, & desiderat omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire. Ultra hanc prædestinationem, quæ, quantum est ex parte Dei media sufficientia conferentis potest dici efficax, & absoluta, licèt sit conditionata ex parte obiecti, nempè si ii, quibus media preparantur, consensum prebere voluerint; datur in Deo alia prædestinatio, & electio ad gratiam, & gloriam ex omni capite absoluta, & efficax, per quam non sunt prædestinati omnes, sed tãtùm illi, quos ex mero suo beneplacito absque cæterorum injuria Sapientissimus, & ęternus Deus prædestinare voluit: estque ita purum Dei donum, ut nullam ex parte prædestinatorum causam Divinæ Voluntati propositam recognoscat; adeoque fieri ante prævisionem meritorum, censemus.

III.

Potest assignari quædam ratio generalis, cur Deus aliquos sic prædestinavit, aliquos non. At si quæratur ratio in specie, cur ex communi hominum massa hos potiùs elegerit, & non illos? cur istis, & non aliis contulerit auxilia re ipsa efficacia? juxtà Divi Augustini sensum recurrendum est cum Apostolo ad inscrutabilia Dei Judicia, & ad altitudinem Sapientiæ, & Scientię Dei; & cui non placet hæc responsio quærat Augustino doctiorem; sed caveat ne inveniat præsumptorem.

IV.

Omnes, & singuli actus salutares, etiam initium Fidei, & finalis perseverantia, sunt dona Dei, & ab ejus gratia beneficioque procedunt. Non ex operibus gratia; ergo prima gratia confertur

tur à Deo omninò gratis, & non ex operibus naturalibus, sivè existentibus, sivè absolutè futuris. Rursùs opera bona prævisa ut conditionatè futura, & præsertìm ut elicienda ex solis viribus naturæ, non possunt habere vim meritoriam gratię, quemadmodum opera mala ut purè conditionatè futura non habent vim meritoriam ullius pœnæ. Prædestinatio ergo ad gratiam non fit ex meritis prævisis ut conditionatè futuris. Hæc conclusio est vera, sivè sustineatur physica prædeterminatio, sivè Decretum concomitans, sivè Scientia media.

V.

Auxilia purè sufficientia, licèt inefficacia, Deus reprobis confert ex amore, & Voluntate benevola, primò & per se intendens consensum; Secundò confert illa, non quia inefficacia; sed quia sufficientia; & tandem confert ea ita, ut si essent efficacia, adhùc conferret, & prædefiniret consensum. Neque ex eo quod Deus posset impedire peccata, & non impediat, sed permittat; neque ex eo quod justo suo Judicio nobis occulto conferat auxilia, quibus prævidet hominem abusurum, & denegat alia, quibus præsciebat non malè usurum; neque tandem quia offert Voluntati concursum indifferentem, cum quo Voluntas creata potest elicere tùm actum bonum, tùm actum malum, sequitur, Deum esse causam, & authorem peccati; & malitiam, ac deformitatem actuum malorum debere imputari Deo.

VI.

Nil vetat, ut æqualis entitativè gratia in uno sortiatur effectum, in alio non; & ex duobus habentibus æqualem entitativè gratiam, alter consentiat, alter non. Entitativè sumptum tale non est Dei trahentis auxilium, ut ei resisti non possit; & liberũ Arbitrium motum, & excitatum Divina gratia dissentire potest, si velit, juxtà Senonensis, & Tridentini Conciliorum doctrinam. Hoc non obstante Deus est, qui primariò per gratiam suam discernit consentientem à non consentiente; & homo solùm secundariò, ac dependentèr à gratia Dei discernit se ipsum consentientem à non consentiente; adeoque juxtà Apostoli consilium, qui gloriatur in Domino glorietur.

DE

DE SANCTISSIMO TRINITATIS INEFFABILI MYSTERIO.

I.

INter Fidei nostræ arcana, pro quibus plùs captivatur Intellectus ad obsequium, quàm intelligentia penetret ad studium, supremum est Sanctissimæ Trinitatis mysterium: Convenerunt adversùs Catholicam hanc Veritatem quamplurimi Infideles, tùm Gentiles, & Pagani, tùm Judæi, & Hæretici; sed parati sumus solvere omnia eorum argumenta; & supposita Fide, etiam rationibus suadere ejus convenientiam & non solùm non esse contra principia lumine naturæ nota; sed rationi nimis consentaneam. Nullus Intellectus Creatus potest naturalitèr, sivè à priori, sive à posteriori, argumentis sive à Deo, sive à Creaturis desumptis, hoc, evidenter, mysterium demonstrare. Est possibilis species impressa distinctè repræsentans unitatem Essentiæ, & Trinitatem Personarum; at cognitio, quam de Sanctissima Trinitate pareret hujusmodi species in Intellectu creato, non esset naturalis, sed simpliciter supernaturalis.

II.

In Deo est vera, & propria ratio Personę, Hypostasis, & suppositi. Necesse est aliquam Personam Divinam esse improductam. Non possunt esse plures Personæ Divinę improductę. Pręter unam Personam improductam, sunt in Deo duę alię Personę Divinæ productæ, nempè Filius, & Spiritus Sanctus. Non possunt in Deo esse nec plures Filii; nec plures Spiritus Sancti; adeoque Personæ Divinę non sunt, nec plures, nec pauciores, quàm tres. Dantur in Deo duæ tantùm productiones ad intra; altera per Intellectum, per quam à Deo Patre producitur Filius; & altera per Voluntatem, per quam à Patre, & Filio procedit Spiritus Sanctus. Sunt impossibiles plures productiones per Intellectum, & proportionaliter plures processiones per Voluntatem.

III.

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt varia nomina

ejusdem Personæ, ut impiè docuit Sabellius; sed sunt tres Personæ realiter personaliter distinctæ. Verbum Divinum à Deo Patre ab æterno per Intellectum productum non est Creatura, ut Nefarius existimavit Arrius; sed est Persona Divina, ac verus Deus, & ejusdem Essentiæ, Homusios, & consubstantialis cum Patre; & hoc ipsum fidelitèr sentimus de Spiritu Sancto contra Macedonium. Sicut sigillatìm unamquamque ex his tribus Personis Deum, ac Dominum confiteri Christiana Veritate compellimur; ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur. Sunt igitur unus, & idem numero Deus, & habet unam, & eamdem numero Essentiam, & Naturam Divinam. Non possunt dici tres Usiæ, nec tres Substantiæ simpliciter, & sine addito limitante vocem substantiæ ad standum pro supposito: nec possunt sine erroris suspicione dici una Hypostasis, constito jam Hypostasim græcè idem significare, quod latinè suppositum.

IV.

Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: non per actum intelligendi, sed per actum dicendi; non ex cognitione Creaturarum existentium, nec futurarum; imò neque etiam possibilium; sed ex cognitione Divinæ Essentiæ, Attributorum, & etiam Divinarum Personarum. Spiritum Sanctum non esse à solo Patre; Sed à Patre, Filioque procedere, tùm authoritate, tùm ratione adversùs Græcos probamus. Non est factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Ratio autem, cur Spiritus Sancti processio non est generatio, & Spiritus Sanctus non possit dici nec genitus, nec Filius, ut est secunda Sanctissimæ Trinitatis Persona; non est quia Filius procedit ab uno, & Spiritus Sanctus à duobus: nec quià Filius accipit Naturam Divinam ut fæcundam cum virtute communicandi illam alteri; secùs verò Spiritus Sanctus: nec præcisè quià Filius procedit per Intellectum, & Spiritus Sanctus per Voluntatem; sed est quià Filius procedit naturaliter, & Spiritus Sanctus liberè, non libertate accidentali,

& con-

& contingentiæ necessitati opposita; sed libertate intrinseca, & essentiali, ac perfectissima, quæ stat cum summa necessitate. In Patre, & Filio est tantùm una numero Spiratio. Estò sit de Fide, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere; tamen si per impossibile à solo Patre procederet, etiam distingueretur realiter personaliter à Filio.

V.

Præter tres subsistentias relativas, datur in Natura Divina subsistentia quædam absoluta. Ipsa Essentia Divina non est generans, neque genita, neque procedens: sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, ita ut distinctiones sint in Personis, & unitas in natura. Prædicata contradictoria, quæ verificantur de Essentia Divina, & Divinis Personalitatibus, salvari non possunt absque ulla distinctione: salvari non possunt per distinctionem virtualem; salvari non debent per distinctionem realem simpliciter: ergo salvari debent per distinctionem ex natura rei formalem.

DE BEATIFICA DEI VISIONE.

I.

Deum Visibilem esse ab Intellectu creato, & de facto videri à Beatis in Patria, dogma Fidei est. Omnia arguméta, quę hãc possibilitatem oppugnant, sunt à nobis solubilia: sed non indè possumus eam positivè demonstrare, & existimamus rationes, quibus solet positivè probari, sistendo in solo lumine naturæ, non esse demonstrativas, sed probabilitèr solubiles. Qua ratione est de Fide Deum visibilem esse ab Intellectu creato, eadem ratione est de Fide Deum non esse visibilem ab Intellectu creato naturaliter, ut contrà Beguardos, & Beguinas definitum est in Concilio Viennensi; licèt hoc ipsum, quod Intellectus creatus non possit videre Deum naturaliter, nequeat naturaliter demonstrari.

II.

Ut igitur Intellectus creatus possit Deum clarè, & intuitivè per Visionem ab ipso elicitam videre, est necessarium lumen

Gloriæ; & non est possibilis ullus Intellectus creatus, cui sit cõnaturalis visio intuitiva Dei, vel ipsum lumen Gloriæ; licèt possibile sit, Intellectum creatum videre Deum per visionem à solo Deo in Intellectu productam; in qua Hypothesi non esset necessarium lumen ab ipsa visione distinctum. Scotus nullibi negavit lumen Gloriæ de facto esse habitum, & qualitatem supernaturalem, intrinsecè, & permanenter inhærentem Intellectui.

III.

Hic habitus luminis Gloriæ non est Intellectui tota ratio, & virtus agendi; agit enim etiam Intellectus secundum suas vires naturales à lumine elevatas: neque est ita necessarius, ut nec de potentia Dei absoluta possit sine ipso fieri visio beata; posset enim fieri per omnipotentiam extrinsecus assistentem, ac luminis activitatem supplentem. Propter hoc ipsum quod Intellectus etiam per suas vires intrinsecas concurrit ad visionem beatam, perfectior Intellectus potest elicere perfectiorem visionem, ac intensiùs, & perfectiùs videre Deum, quàm Intellectus imperfectior, servata hinc inde luminis æqualitate.

IV.

Beati de facto ità vident Essentiam Divinam, ut in ea omnia, quæ continentur formaliter, perfectè intueantur. Sed secundũ potentiam absolutam non repugnat visionem beatam esse præcisivam, & per eam videri Essentiam non visis Attributis, & Personis; & in hac Hypothesi visio solius Essentiæ Divinæ adhùc beatificaret videntem. Visio beata est species expressa, & similitudo formalis sui obiecti. Visio beata non est Verbum mentis propriè, & in rigore, in sensu Sancti Augustini. Verumtamen si in Beatis daretur Verbum mentis non deberet esse ab ipsa visione beata realiter distinctum; Cum Verbum non sit terminus per intellectionem, sed per dictionem productus, & ab ipsa intellectione indistinctus. Possibilis est species impressa creata Deum distinctè, & quidditativè representans; quæ poterit etiam esse principium effectivum Visionis Beatæ.

Nul-

V.

Nulla Visio creata potest esse compræhensiva omnium Creaturarum possibilium. A fortiori nulla Visio creata potest esse compræhensiva Dei. Potest nihilominùs Visio creata videre in Divina Essentia omnes Creaturas possibiles; sed indè non inferas Intellectum creatum compræhendere Deum. Non repugnat Visionem beatam esse supra seipsam reflexam formaliter, & explicitè, percipiendo se ipsam ut quod, & tamquam obiectum. Beatitudo formalis adæquatè sumpta non potest consistere in solo actu Visioni s, nec in solo actu amoris; ergo debet partialiter consistere in actu Visionis, & partialiter in actu Amoris.

DE ANGELIS.

I.

DAri Angelos in rerũ natura est certum certitudine Fidei; sed eorũ existentiâ neque à priori, neque à posteriori possumus euidenter demonstrare. Sunt Angeli substantiæ spirituales completæ, à solo Deo immediatè creatæ, Intellectuales, ex genere, & differentia metaphysicè compositæ. Nulla necessitas cogit ponere in Angelis materiam primam, vel compositionem physicam ex materia, & forma. In Angelis neque repugnat pluralitas specifica sub eodem genere, neque numerica sub eadem specie. Sunt Angeli in loco, non per operationem, sed fundamẽtaliter per propriam substantiam, & formaliter per relationem Ubicationis. Divinitùs fieri potest, ut idem Angelus sit simul in pluribus locis adæquatis.

II.

Gaudent Angeli Intellectu possibili, & agente, & species intelligibiles etiam à rebus materialibus valent accipere. Fuerunt ipsis multorum species obiectorum infusæ; & probabiliter etiã species abstractivè repræsentans Divinam Essentiam. Si Deus non impediat, possunt naturaliter cognoscere Secreta Cordium actù posita. Potuerunt in primo in stanti & mereri, & peccare: imò potuit in Angelis simul esse potentia proxima ad peccandũ

in

in primo instanti, & Gratia sanctificans in eodem instanti, etiã si peccatum, & Gratia opponerentur physicè, & per nullam potentiam possent esse simul.

DE PECCATIS, ET JUSTIFICATIONE.

I.

Essentia peccati actualis non consistit in aliquo positivo, neque in positivo, & negativo simul: ergo cõsistit tantùm in privatione rectitudinis, & conformitatis ad legem, quam Volútas in suo actu ponere tenetur. Posset remitti in eodem instanti, in quo fit. In ratione offensæ non est simpliciter infinitum. Est possibilis pura omissio, tùm libera, tùm peccaminosa. Peccatũ habituale non consistit formaliter in privatione Gratiæ; sed prę. cisè in reatu, & obligatione ad pœnam correspondentem contractam ex actu peccaminoso moraliter perseverante. Peccato veniali nec per se, nec per accidens, nec etiam ut coniuncto cum mortali, debetur pœna æterna, & hac de facto non punitur in Inferno. Peccatum originale non est ipsum Adę peccatum per modum habitus in posteros transfusum; sed est peccatum ab Adę crimine dependens, multiplicatum in singulis, & deletur per infusionem Gratiæ sanctificantis.

I I.

Formalis causa nostræ justificationis de facto non est contritio, nec dilectio Dei super omnia, sed Gratia habitualis. De potentia absoluta possent prædicti actus formaliter sanctificare. Ipsa Gratia habitualis non est forma physicè, & ex natura rei sanctificans, sed tantùm moraliter, & ex ordinatione Divina: Undè inter peccatum, & Gratiam non datur oppositio physica, sed tantùm moralis: adeoque secundum potentiam Dei absolutam sicuti posset remitti peccatum, & non infundi Gratia per puram condonationem extrinsecam, sic posset infundi gratia, & non remitti peccatum. Ultima dispositio, qua impius ad justificationem, & gratiam sanctificantem disponitur non potest ab eadem gratia sanctificante effectivè procedere. Gratia cum sit

qua-

qualitas potest in infinitum intendi, imò non implicat ut sit categorematicè infinita. Non est impossibilis pura omissio meritoria.

DE PIISSIMO DOMINICAE INCARNATIONIS MYSTERIO.

I.

Dominicæ Incarnationis piissimum mysterium, in quo tàm speicaliter apparuit Benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei, in admirabili hypostatica duarum naturarum, Divinæ scilicet, & humanæ in Divini Verbi supposito unione consistit. Tam ex parte Verbi assumentis, quàm ex parte naturæ assumptæ; est logicè, physicèque possibile, & à parte rei existens; ac proindè sine ullo argumento à nobis insolubili impiè negatū ab Hæreticis. Ejus possibilitatem, & existentiam nullus Intellectus creatus potest ex viribus naturæ evidenter positivè demonstrare, etiam supposito quod Personalitas creata consisteret in positivo.

II.

Humanitatem ergo in Individuo propria Personalitate carentem Divinum Verbum assumpsit: ex hoc necessariò infertur, personalitatem ipsam creatam quid realiter distinctum naturæ singulari superaddere. An autem positivum, vel negativum? Respondemus neutram partem habere argumenta positiva insolubilia; & propter hoc ipsum ne multiplicentur Entia sine necessitate, standum est sententiæ de negativo. In assumpta humanitate absolutè propriam admittimus existentiam; at si inter essentiam, & existentiam supponatur distinctio realis, non videtur impossibile; quod existat, vel existere possit per increatam Verbi Divini existentiam.

III.

Verbum Divinum immediatè assumere aliam naturam completam, etiam non Intellectualem; imò & plures simul: substātias insuper incompletas, & accidentia absoluta, tàm à subiecto sepa-

separata, quàm cum subiecto coniuncta, non repugnat. Potuit etiam Natura Divina ratione propriæ subsistentiæ absolutę, quã propugnamus in ipsa, præter tres subsistentias relativas, creatam naturam immediatè assumere. Plures Personas Divinas simùl personare eamdem numero naturam creatam, videtur impossibile.

IV.

Ex unione Hypostatica in humanitate recepta, & ad Verbum terminata, oritur inter Deum, & hominem vera, & propria Idiomatum communicatio, secundum quam verè dicimus, *Deus est homo, & homo est Deus*. Volumus etiam, non solùm veram esse hanc propositionem, *Deus factus est homo*; sed etiam istam, *homo factus est Deus*; ac posse in recto sensu asseri, *Christus incæpit esse*. Decretum talis unionis quoad substantiam fuit ante cujuscumque peccati prævisionem; ejusque primariùm motivũ non fuit peccati remedium; adeoque etiam Adamo non peccante, Divinum Verbum vi præsentis Decreti carnem assumpsisset.

V.

Christus Dominus habuit gratiam habitualem omnium maximam; at si non habuit infinitam, neque habuit ita summam, ut non fuerit possibilis æqualis, & major. Fuit proximè impeccabilis; sed non ex vi unionis Hypostaticæ præcisè, quæ secundum se non habet oppositionem cum potentia proxima ad peccandum, etiam dato quod esset Sanctitas adhùc physicè, & ex natura rei. Salva impeccabilitate habuit etiam Christus libertatem sufficientem essentialiter ad meritum. Christus reduplicativè secundum humanitatem non potest dici Dei Filius propriè adoptivus, nec propriè naturalis; sed tantùm proprius. Non fuit simplicitèr necessaria Christi Domini satisfactio pro peccato mortali; sed potuit sufficere satisfactio puræ Creaturæ. Potuit in alio ordine Divinæ Providentiæ humanitas Christi mereri sibi Beatitudinem Animæ, & etiam unionem Hypostaticam cum supposito Divino, tàm per opera antecedentia, quàm per subsequentia.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

I.

Fides Divina non resolvitur ultimatè, ut in motivum intrinsecum, & obiectum formale credendi, nisi in summam Dei veracitatem revelantem, ratione cujus Deus & infinitè bonus, & infinitè sapiens habet, ut nec possit fallere, neque falli. Ut revelata credamus fide Divina, non sufficit, quod fide humana credamus has præmissas: *Deus est summè verax, & revelavit*; aut quod assentiamur illis, vel uni earum per assensum purè naturalem, etiam scientificum, ideoque necesse est regulariter, ut ipsis adhæreamus fide Divina.

II.

Fides est discursiva virtualiter, ac potest esse etiam discursiva formaliter. Fides est certior scientia, & assensus Fidei est certior quolibet assensu naturali, etiam scientifico; adeoque implicat, ut Fide Divina credamus aliquod falsum. Fide Divina obscura possumus credere aliquod obiectum partialiter evidens, ut *Deus est unus, & trinus*: At fide Divina obscura non possumus absolutè credre obiectum adæquatè, & totaliter evidens; nihilominus de obiecto adæquatè, & totaliter evidenti possumus habere quemdam actum Fidei quasi conditionatum, dicendo: si hæc veritas nobis non innotesceret evidenter per lumen naturæ, adhùc illi firmiter assentiremur propter infallibilem veracitatem Divini Testimonii; & hic actus esset etiam supernaturalis, & meritorius.

III.

Si alicui evidenter innotesceret Deum esse summè veracem, ac revelasse mysteria; haberet hoc ipso evidentiam de Veritate mysteriorum: evidentia ergo Dei attestantis inducit evidentiam attestatorum. At cum hac evidentia adhùc staret Fides Divina, & Theologica, procedens ab eodem habitu supernaturali, à quo procedunt assensus Fidei de facto: Fides enim Divina ex sua universalissima ratione est habitus credendi mysteria propter Divinam veracitatem revelantem, præscindendo ab hoc, quod

ſit propter Divinam veracitatem revelantem clarè, vel obſcurè.

I V.

Eſto myſteria noſtræ Fidei de facto ſint obſcura, & non apparentia, nihilominus datur evidentia de eorum prudenti credibilitate; & quod ſola Religio Chriſtiana Catholica Romana ſit prudenter credibilis, & credenda. Evidentia de hac prudenti credibilitate regulariter requiritur in quolibet, ad hoc ut myſteria credat Fide Divinâ. Si alicui proponerentur ut æqualiter credibiles duo articuli, alter verus, & alter falſus, nec falſum, nec verum crederet Fide Divina. Non obſtante evidentia de prudenti credibilitate noſtræ Religionis, fides eſt libera, non ſolùm quo ad exercitium ad ſuſpendendum aſſenſum; ſed etiàm quo ad ſpecificationem ad imprudenter negandam Veritatem myſteriorum; & conſequenter ad credendum requiritur imperium Volũtatis, & quidẽ poſitivũ, quod debet eſſe honeſtũ, & ſupernaturale.

V.

Spes ſupernaturalis habitualis eſt vera Virtus Theologica à Fide, & Charitate realiter diſtincta, & in Voluntate ſubiectata. Si talis Virtus inſpiciatur in quantum eſt habitus amandi habet pro obiecto formali Deum ut bonum nobis, & quatenus eſt beatitudo noſtra: Si verò conſideretur in quantum eſt habitus firmiſſimè ſperandi reſpicit pro obiecto formali ſummam, & omnipotentem fidelitatem Dei promittentis. Poteſt Deus de potentia ſaltìm abſoluta tàm reprobo peccatori ob peccata præterita, quàm juſto ob peccata futura, futuram revelare damnationem. Hæc revelatio ſaltìm in aliquo caſu poteſt ità fieri, ut non auferat ab eo, cui fit, potentiam proximam ad ſperandum Beatitudinem ſpe Theologica.

V I.

Charitas tandem ſupernaturalis eſt vera Virtus Theologica, omnium planè perfectiſſima. Reſpicit Deum ſub ratione Deitatis pro obiecto materiali attributionis, & primario; & Deum ipſum, non ut donorum ſupernaturalium authorem, ſed ut infinite bonum, & perfectum propter ſe diligibilem pro obiecto for-

ma-

mali. Habitus Charitatis nō distinguitur realiter ab habitu gratiæ sanctificantis. Est idem in via, & in Patria, idemq: est principium diligendi Deum propter se, & proximum propter Deum, quem tenemur diligere super omnia appretiativè.

DE SACRAMENTIS.

I.

Sacramenta verè, & propriè dicta institui necessarium simpliciter non fuit, etiam supposito quod humanę naturę lapsum Deus misericorditer reparare voluerit. In lege naturæ aliquod fuit remedium à Deo institutum peccati originalis per gratię infusionem deletivum, quod non in solo actu interiori, sed etiam in aliquo exteriori, & sensibili signo Messię venturi protestativo cōsistebat; ac proindè dici poterat in toto rigore Sacramentum; sicut dici etiam poterat Circumcisio in lege scripta, quę non solùm instituta fuit in signum Populi hoc Caractere signati; sed & in remedium originalis culpę. Novæ Legis Sacramenta non causant physicè gratiam sanctificantem; sed sunt tantùm Causę morales.

II.

Non omnia Novę Legis Sacramenta ex se, & ex vi suę institutionis, valent conferre primam gratiam; sed tantùm Baptismus, & Pœnitentia; reliqua verò instituta sunt ad conferendum augumentū gratiæ, seù secundam Gratiam: sed per accidens fieri potest, ut prima conferant secundam, & secunda conferant primam. Aliqua etiam, ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo, pręter gratiam causāt, & imprimunt etiam Characterem, quem non esse subiectatum in Intellectu, sed in Voluntate, regulariter indelebilem, cum peccato compossibilem, & adhùc in alia vita perseuerātem defēdimus. Potest Sacramentum Baptismatis ab Adulto cum debita intentione susceptum, esse validum, & informe, sed ablato obice, qui esset impedimentum Gratiæ, reviviscerẹt.

III.

Sanctissimæ Eucharistię Venerabile Sacramentum intrinsecè, & essentialiter consistit in solis speciebus Consecratis, Corpus, & San-

Sanguinem Christi veraciter cõtinentibus. Materia valida consecrabilis per hæc sola verba, *hoc est Corpus meum, hic est calix sãguinis mei*, vel per alia æquivalentia, etiam si verba antecedentia, & subsequentia formã Consecrationis non proferrentur, est panis ex tritico, & vinum de vite, cui modicissima aqua est miscenda, quam nõ converti posse in sanguinem, nisi priùs fuerit in vinum conversa, tenemus. Consecratio autem ista cum non sit vera, nisi in ultimo instanti, & supposita reali præsentia Corporis, & sanguinis Christi, non est conversiva ut vera.

IV.

In trãsubstantiatione Eucharistica destructio totalis substãtiarũ panis, & vini, remanentibus dumtaxat accidentibus sine subiecto ultimato, est propria earũdem annihilatio; sed actio, qua Corpus, & Sanguis Christi ponuntur sub speciebus panis, & vini, non est Corporis, & Sanguinis Christi nova productio. Prædicta substantiarum panis, & vini destructio non indispensabiliter colligitur ex præsentia Corporis, & Sanguinis Christi; imò neque ex veritate Verborum Consecrationis; putamus enim, quod salvaretur veritas Verborum, etiamsi cum Corpore, & Sanguine Christi remanerent Substantiæ Panis, & Vini. Christus non est in Eucharistia sine quantitate, licèt sine modo quantitativo: non sustentat accidentia, neque in genere Causæ materialis, neque in genere Causę efficientis; nec habet aliam unionem cum speciebus, præter indisolubilem præsentiam.

V.

Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino institutum quãdo protulit illa verba Joannis 2. *quorum remiseritis peccata &c.* Est signum sẽsibile ad absolvẽdum homines à peccatis post Baptismum commissis; & neq; per se neq; per accidens delere potest peccatum originale, aut actualia ãte Baptismum cõmissa. Semper quod hoc Sacramentum est validũ semper est licitum, & justificativũ; adeò ut in nullo prorsùs casu possit esse validũ, & informe. Omnes has Theses, omneq; doctrinã in ipsis cõtentã, nosq; ipsos submittimus pedibus Sãctę Rom. Ecclesię, & Sapiẽtũ Judicio.

LAUS DEO.